



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Libellus supplex Benedicto XIII. ab Illustriss. & Reverendiss. Episcopo
Massiliensi cum universo ipsius Diöcesis Clero porrectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

LIBELLUS SUPPLEX

BENEDICTO XIII. Pontifici Maximo, ab Illustriss. & Reverendiss. Episcopo Massiliensi cum universo ipsius Diœcesis Clero, porrectus.

BEATISSIME PATER,

Devotissimus Filius vester *Henricus Franciscus Xaverius de Belfunce de Castelmoron Episcopus Massiliensis*, cum universo Diœcesis suæ Clero tam seculari quam Regulari, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus cum omni reverentia & filiali confidentia ipsi exponit: Quod anno 1720. multiplicatis Massiliensium sceleribus, ultionum Dominus sævissima peste ex thesauris iræ suæ educta, eam fumsit de infelici populo vindictam, quæ cunctis vel maxime diffitis totius orbis terrarum nationibus formidanda fuit. Superba hæc Massiliensis civitas plena populo & divitiis, divino judicio, subito, lacrymis & solitudini hæctenus inauditæ, desolationi tradita & ita morti addicta est, ut quotidie omnium ordinum hominum millia, sæviente pestilentia de medio tollerentur; morientium simul & mortuorum corpora, non in ædibus tantum, sed maxime, quod horrendum fuit, per vicos omnes & plateas hujus vastæ Urbis passim permixta, ibidemque coacervata & putrefacta cadavera, canibus esca jacerent. Sed quod dolendum

maxime afflictissimo Pastori fuit, PATER SANCTISSIME ipsa ineunte pestifera vastitate, ducentis quinquaginta fere eodem tempore Christi Ministris gloriosa morte sublatis, aliis peste laborantibus, fugientibus cæteris, fere ab omnibus derelictus, dilectas oves magna ex parte absque Ecclesiæ Sacramentorum auxilio misere morientes, mœrore confectus ipse videre quotidie ac deflere coactus est.

Quid in tot ac tantis rerum omnium calamitatibus ageret Pastor quotidie moriens? Humanæ sapientiæ conatus omnes in vanum adhibiti, frustra in honorem Sanctorum vota multiplicata fuerant. A solo Domino Nostro Jesu Christo semper vivente ad interpellandum pro nobis, laboranti & morienti populo auxilium sperans Massiliensem populum cum reliqua sua Diœcesi, quam fere totam devastabat pestilentia, publice SACRATISSIMO CORDI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, omnium misericordiarum nunquam exhauriendo fonti consecravit: statuitque ut in posterum in reparationem peccatorum populi, & in gratiarum actionem, in tota Diœcesi dies festus solemniter & perpetuo celebraretur quotannis in honorem adorandi CORDIS JESU, feria sexta prima post octavam Corporis Christi; & sanctissimi Nominis Jesu, die 14. Januarii.

Ubi primum in lugubri supplicatione seu processione habita die Sanctorum omnium, assistente paucissimo superstite Clero & Populo (fremetibus modicæ fidei hominibus qui ex ista generali omnium

com-

communicatione infausta omnia Urbi & Civibus minabantur) hæc solemnis consecratio in medio desolatæ Civitatis pronunciata fuit, & supra dictæ solemnitates ab Episcopo ante Missam inter vivos & mortuos promulgatæ fuerunt, si plaga non cessavit subito, misericordia tamen commotus est Dominus super populum suum, atque ex illa hora, quod est prodigio par, imminui semper & usque ad cessationem integram decrescere manifeste visa est lues pestifera.

Tanti beneficii testes ac memores Massiliæ Consules, singulis annis in die festo SACRATISSIMI CORDIS JESU in Ecclesia primi Monasterii Monialium Visitationis B. Mariæ Virginis, sumto divino Eucharistiæ Sacramento, Cereum Majestatis offensæ piaculum, & grati animi pignus, ex voto offerunt, & interfunt eodem die solemnibus omnium Ordinum supplicationi, quæ per totam Urbem, ad perpetuam rei memoriam, ex eodem voto indicta est.

Undique tanti beneficii, dicam, an prodigii sparso rumore, non solum apud Massilienses, sed etiam apud fere omnes istius Provinciæ Diœceses adaugetur & effervescit in dies nova illa Christi Domini in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento colendi ratio, quam Deus Optimus Maximus signis non dubiis comprobavit, & quæ quotidie in Galliis & in aliis Regnis mirifice propagatur. Ad augendam talem Populorum Diœcesis Massiliensis devotionem Innocentius XIII. in omnibus fere ac singulis totius hujus Diœcesis Ec-

cle-

clesiis plenariam Indulgentiam, in prædicta feria sexta proxima post octavam Corporis Christi, benigne ac paterne concessit.

Ut hæc ergo tum expiationis, tum gratiarum actionis solemnitas cum omni celebritate & devotione in perpetuum Massiliæ celebretur, unum deest, PATER SANCTISSIME, nimirum ut Missa, & Officium in honorem SACRATISSIMI CORDIS JESU Liberatoris nostri, id est ipsius Domini Nostri Salvatoris semper super peccatores miserentis, Vestra & Sanctæ Sedis auctoritate approbentur, eaque recitari a Clero tam Regulari quam Seculari liceat. Hoc suppliciter & enixe deprecantur a peste divinitus liberati Episcopus, & Clerus hujus Urbis, quæ nunc multo magis sua erga Sedem Romanam reverentia & obedientia gloriatur, quam olim honorifico fororis Romæ titulo.

HENRICUS, *Episcopus Massiliensis.*

Foresta Colongue Ecclesiæ Cathedralis Præpositus. *J. Borel*, Ecclesiæ S. Martini Præpositus. *Guerin*, Ecclesiæ & Capituli nostræ Dominæ de Aquis Decanus. *Laurens*, Vicarius perpetuus Ecclesiæ Cathedralis. *Rastegue*, Vicarius perpetuus Ecclesiæ Cathedralis. *Nicolas*, Ecclesiæ S. Martini Vicarius. *Christin*, Ecclesiæ S. Martini Vicarius. *Giraud*, Vicarius perpetuus Ecclesiæ Nostræ Dominæ de Accuis. *A. Dalmas*, Vicarius perpetuus Ecclesiæ Nostræ Dominæ de Accuis. *Jourdan*, Prior S. Laurentii. *Dalmas*, Vicarius Ecclesiæ Parochialis S. Ferreoli. *Fr. Josephus Hiacinthus Serry*
Ma-

Magister ac Prior Conventus Maffiliensis Ordinis FF. Prædicatorum. *Fr. Roman*, Corrector Conventus Maffiliensis. *Fr. Cherubinus a S. Agnete*, Prior Conventus Maffiliensis Augustinianorum discalceatorum. *Joannes le Brienne*, Commendator Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptoris Captivorum Conventus Maffilia. *Fr. Eustachius a divo Carolo*, Minister Conventus Maffiliensis Ordinis sanctissimæ Trinitatis pro redemptione Captivorum excalceatæ Congregationis. *Fr. Angelus Roux*, Doctor Parisiensis, & Prior Majoris Carmeli. *Fr. Augustinus Menc*, Superior Conventus Maffiliensis Ord. Serv. B. M. V. *Josephus Gerin*, Superior domus S. Jacobi Societatis Jesu. *Fr. Carolus Thoard*, Minister Conventus sanctissimæ Trinitatis Maffiliensis. *Fr. Angelus Auriol*, Guardianus Conventus FF. Minorum Recollectorum. *F. Berger*, Superior Canonorum Regularium S. Augustini Ordinis S. Antonii. *De Garcin*, Superior Seminarii. *Bodincent*, Superior Presbyterorum SS. Sacramenti. *Petrus de Cabassole*, Superior Domus sanctæ Crucis Societatis Jesu. *F. Joannes Baptista Geassensis*, Guardianus Conventus Maffiliensis Capuccinus. *F. Andreas Blanchet*, Prior Conventus S. Augustini. *F. Marcellus a S. Anna*, Prior Conventus Carmelitarum discalceatorum. *F. J. Fr. Pezenas*, Guardianus FF. Minorum de Observantia. *F. Joannes a S. Bartholomeo*, Superior Cœnobii S. Bernardi *des Feuillans*. VINTIMILLE, Vicarius Generalis & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.